



## **De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis**

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||  
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm  
in lucem prodière

Qvi ... Illas Omnes Complectitvr Historias, Qvæ Post Secvndam Sex  
Tomorvm Editionem ...

**Surius, Laurentius**

**Coloniae Agrippinae, 1586**

**VD16 ZV 1269**

De S. Sotere virgine.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77432)

*Dæmoniacus ad eius sepulcrum à dæmone liberatur.*

eius sanet miserum. Post aliquot dies iuuenis apertis oculis dicit ad illos: Soluite me, meritis sanctissimi confessoris Sigeberti iam liberatum. Hilarescunt illi, soluant hominem, Deo & beato Sigeberto gratias agunt. Promittit iuuenis se quorannis daturum loco illi quatuor nummos. Et biennio quidem facit id bona fidei anno tertio non seruat datam fidem. Redit satan, occupat rursus miserum, ut prius. Parentes adducunt eum iterum ab beati Regis monumentum, fundunt nouas preces, iuuenis oculis restituitur sibi, domum suam latus reperit, & quoad vixit quod promiserat Sigeberto Regi, etiam religiosè perfoluit.

*Duo ægri sanantur.*

Cum id genus alia permulta fierent miracula, magnus fiebat hominum concursus ad sepulcrum beati Sigeberti, qui eius meritis curabantur. In ijs duo quidam nostræ ætatis, Constantius & Iozelinus, & mente & corpore laborantes, ad eius monumentum sanati sunt. Hæc & alia multa nos ipsi vidimus diuinitus declarari miracula, quibus aliud addam.

Accidit aliquando, ut vespillones & prædones quidam nostros fines præter opinionem inuaderent, domosque tum diuitum tum tenuium repente expilarent, non enim ausi erant longas moras necere. Porro ubi in vallem Gorgiensem incurrerunt, multa illic degentibus damna attulerunt. Mox eius rei fama longè propagata, etiam Metenses peruasit. Ij collecta forti armatorum manu, raptores illos persecuti sunt, comprehensosque magna ex parte trucidarunt, plerisque ceteris captiuos: pauci tamen fuga sibi consulere. Ex captiuis autem Rodolphus quidam, cum iam multo tempore cum complice sceleris in carcere detentus fuisset, recordatus est beatum Sigebertum Regem permultis clarere miraculis, quod crebra auditione acceperat. Itaque ad socium suum ait: Ambo quæso prostrati, imploremus beatum Sigebertum Regem. Ambo igitur se dant precibus, nec ullam sentiunt in impetrando difficultatem. Soluuntur spontè vincula, surgunt ferreis nexibus expediti, tollunt secum catenas, veniunt ad sacram ædem, in qua sancti Regis corpus quiescit, gratias agunt Deo & beatissimo confessori Sigeberto, referunt nobis quantam erga se ob beati Sigeberti commemorationem experti sunt misericordiam Dei.

*Duo prædones captiui, suis catenis ab soluuntur.*

Miles quidam Masriensis captus ab hostibus, in carcerem coniectus fuit, & ferreis vinculis implicatus. Ibi ille non immemor, quàm multa Deus conferret beneficium in captiuos & ægros propter sanctum suum Sigebertum: cepit deprecari eum ipsum Sigebertum ut ipsius miseretur. Exauditur captiuus, laxantur vincula, abscedit de carcere, venit ad templum, ubi asseruabatur sancti Regis corpus, immensas depromit laudes Christo saluatori, & eius sanctissimo confessori: nos hortatur in eius perseuerare cultu, & laudibus celebrare eum, qui viuunt & regnat per infinita secula seculorum, Amen.

*Item alius miles.*

VITA ET PASSIO SANCTÆ SOTERIS VIRGINIS ET MARTYRIS, PER DIVVM AMBROSIVM SCRIPTA. Habetur libro tertio eiusdem de Virginibus.

*sum scripta. Habetur libro tertio eiusdem de Virginibus.*

6. Febru.

S. Soteris castitas.



ED quid alienigenis apud te foror vtor exemplis, quam hereditaria castitatis inspirata successio, parentis infusio, ne martyris erudiuit? Vnde enim didicisti, quæ non habuisti? vnde disceres constituta in agro, nulla focia virgine, nullo informata doctore? Non ergo discipulam, quod fieri sine magistro non potest, sed hæredè virtutis egisti. Qui enim fieri posset, vt sancta Soteris tibi non esset mentis author, cui author est generis? quæ persecutionis ætate seruilibus quoquè contumelijs ad fastigium passionis euecta, etiam vultum ipsum qui inter cruciatus totius corporis liber esse consuevit iniuria, & spectare potius tormenta quàm perpeti, carnifici dedit.

S. Soteris in passione fortitudo.

Tam fortis & patiens, vt cum teneras poenæ offerret genas, prius carnifex cædendo deficeret, quàm martyr iniuriæ cederet. Non vultum inflexit, non ora conuertit: non gemitum, non lachrymam dedit. Deniquè cum cætera poenarum genera vicisset gladium quem quærebat inuenit.

ITEM

SURIUS

6. Febr.  
S. Soteris

RVII

5